UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bartolvs A Saxo Ferrato In primam Codicis Partem

Bartolus

Lugduni, 1567

Numerariis & actuariis & chartulariis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-96119

Visual Library

in verſic. quod eſt neceſſe etiam probare. C. de agri. ⁊ cenſi. lib. xij.
b ALEX. ¶ Adde. l. j. in fi. ⁊ ibi Bald. C. de monopolijs.

LEX. II.

SI deſertores Deſertor inuectus reſiſtens, vt rebellis punitur. ¶ Item diligens debet eſſe iudex ne ſub pretextu alicuius licentie deſertos poſſit euadere, hoc dicit. Et not. hic pro rebellibus.

De veteranis. Rubr. XLVII.

LEX I.

CUm introiſſent Veterani gaudent priuilegijs hic de-
1 ſcriptis. hoc dicit. † No. ex hac l. de pedagio, quod colligitur per eum, qui ſtat in porta, ⁊ non permittit aliquem tranſire, niſi certum quid ei ſoluat, quod ab hoc peda-
2 gio veteranus excuſatur. ¶ † Not. in text. ibi, te nobis, non eſſe male locutum ſiue irreuerenter, ſi quis Poteſtati dicit, tu, ⁊ non,
a vos,[a] quia ita hoc fuit dictum Imperatori, ⁊ hoc verum eſt, niſi conſuetudo ſit in contrarium.

ADDITIO.

a ALEX. ¶ Adde quod reſcriptum pape, vitiatur, ſi reſcribit alicui in plurali dicendo vobis, ⁊c. vide tamen tex. in c. quã graui. de crimine fal. licet in capi. filius. de teſta. ⁊ in c. j. de peregrinis. loquitur in plurali. Adde etiam quod Imperator loquitur ſibijpſi. l. fi. C. de edendo. l. j. C. quomodo ⁊ quãdo iud. ⁊ in l. reſque. C. de dona. inter vir. ⁊ vxo. in l. ij. C. ſi pendente appella. mors interuenerit.

LEX II.

PRouidendum Veteranus factus protector nullis iniurijs eſt pulſandus, contrafaciens eſt ſecũdum qualitatem facti per rectorem prouincie puniendus. h. d.

LEX III.

VEterani Veteranus qui ſe latrocinio dederit, priuilegijs nudatus competentibus penis a rectore prouincie punitur, hoc dicit.

LEX IIII.

NUllus Veteranus effectus inuitus, vel nolens non militat, ⁊ ſententia contra eum lata tali ordine non valet, niſi dum ipſe militabat, queſtio in cognitionem eſſet deducta, quia tunc ibi finitur, licet veteranus ſit effectus, niſi ſpeciali priuilegio contrarium ſit ſibi indultum.
1 hoc dicit. † Et not. ex hac l. quod licet ego efficiar alterius fori lite incepta contra me, tamen iudicium ibidem finiri debet vbi ini-
a tium accepit.[a] concor. ff. de iud. l. vbi ceptum. ⁊ l. ſi quis poſtea ff. eod. tit. ⁊ l. cum quedam puella. ff. de iuriſdi. omn. iudic.

ADDITIO.

a ¶ Accepit. Ad quod vide late per Fel. in capi. cum ſit. de foro compe. in verſicul. ampliaui coclu.

De numerariis, & actuariis. Rubr. L.

LEX I.

VOrar. Numerarij, id eſt, ſeruientes rectorib⁹ in diuerſis obſequiis, tormẽtis, ⁊ carcerib⁹ puniũtur. h. d. ¶ Not. hãc l. contra eos, qui vo-
a lũt ſeruire diuerſis iudicib⁹ obſequijs,[a] nã puniunt.

ADDITIO.

a ALEX. ¶ Adde q8 idẽ tenuit Spec. ⁊ Joã. And. in tit. de inſt. edi. §. reſtat. verſi. quid ſi is. ⁊ ver. ex premiſ. ⁊ de prob. §. j. verſ. illud autẽ. hoc per tex. in l. Herennius. vbi voluit Bar. ff. de decurio. ⁊ eorũ fil. ff. de qua q. in l. Barb. per Inn. ⁊ alios in c. j. de fide inſtr. ⁊ Gul. de ſuza. in l. decernimus. de ſac. ſanc. eccleſ. per Jacob. de Bel. in diſpu. incip. cauetur aliquo iure. quam ponit poſt l. ij. C. quomodo ⁊ quando iud. Paul. de Leaza. in c. cũ dilectus. de fid. inſt. per do. Anto. in repe. c. conſultationibus, de iure patro. per Imo. in l. ad teſtiũ. de teſt. per Bal. in l. ij. de ſer. ⁊ aqua. l. nõ ignorat, qui accu. nõ poſ. per Jo. Fab. in §. ſed cũ alienis. inſtit. de teſt. per Ange. in authen. de tabel. §. pen. vel fi. Bal. Salic. ⁊ Angel. in l. j. C. de teſt. vbi limitant eſſe verum, niſi interueniſſet decretũ, vel creatio ſuperioris, quo caſu licet non eſſet tabellio, tamen hoc caſu valent geſta per eum. Et hoc expreſſe vult Bart. etiam reſpondens ad d. l. j. C. de teſtam. quia illa lex non facit ad propoſitum. ſecundum eos, quia loquitur in actu teſtificandi, qui eſt permiſſus de iure cõmuni, cũ omnes liberi a natura naſcãtur, ⁊ p̃ cõſequẽs in tali actu non requiritur decretum, ſecus in caſu noſtro. d. l. Herennius. ⁊ vide Bald. in l. ſecunda. C. de indic. viduita. tollend.

LEX II.

UNi numerarij Numerarij, qui hodie tabularij appellãtur, tormẽtis ſubijciuntur, niſi iudicibus vel alijs ad prouinciã per Principem deſtinatis, nomen debitorũ ſub actorũ teſtificatione demonſtrauerint, vt eis iudicantibus ad ſolutionẽ omnes fiſci debitores cõpellantur, tẽpuſque tabulariorum triennio concluditur. h. d. Et not. hanc legem contra tabularios ⁊ conſeruatores, qui non aſſignant numerum debitorum communis per publicũ inſtrumentum, nam faciunt litem ſuam per hanc l. quod nota.

LEX III.

NUmerarios. Tabularij prefecti pretorio, cingulum, ⁊ ordinem militie retinent. hoc dicit.

LEX IIII.

IN prouincijs. In omni prouincia duo tabularij collocantur, vnus ad rationem arcis fiſcalis, alius ſuper titulis largitionalibus, id eſt, ſuper donis, que Principi largiuntur nulluſque debet ſe de alterius officio immiſcere, ⁊ contra faciens punietur,
1 ⁊ celans talem culpam ſimiliter eſt puniẽdus. h. d. ¶ † Not. hunc tex. quod nũquam vnus officialis debet ſe alterius officio immiſ-
2 cere, vt hic de executo. ⁊ exa. l. ij. † Et ſic eſt caſus hic quod ſi ſunt plures deputati ad officium maleficiorum, ⁊ quilibet pro ſua porta, quod deputatus in vna porta non debet ſcribere in cauſis maleficiorum alterius porte. Caſus eſt hic. ¶ Ultimo no. gl. quid ſit fiſcus, ⁊ quid ſit erarium.

LEX V.

EXceptores Licet ſcriptor alicuius iudicij exiſtens efficiatur decurio, non deſinit eſſe ſcriptor, ⁊ cognoſcere debet munera ciuitatis, ⁊
1 peracto officio ad propriam curiam redit. h. d. ¶ † Et no. ex hac l. quod notarius actorum ſit notarius priorum ciuitatis Peruſij, quod non propterea deſinit eſſe actorum notarius, ſicuti non deſineret ſi efficeretur decurio. hodie tamen nullus decurio poteſt eſſe tabellio, vt ſupra de decurio. l. vniuerſos.

LEX VI.

NEdiutius Numerarij a communione actuariorum abſtinere debent, contrafacientes puniuntur.

LEX VII.

ACtuarios. Actuarij ſecundum conſuetu. antiquam ſunt ordinandi. ⁊ ſi aliter factũ fuerit, facta ab eis non valent, ⁊ ipſi ⁊ facientes pu-
1 niuntur. † No. ex prin. quod vbicunque creatur officialis aliquis ſemper debet mos antiquus ſeruari. alias creatio eſſet nulla. vt l. non tantum. de decu. Et ſic eſt caſus quod ſyndicus creatus non congregata vniuerſitate ad ſonum campane, vel alio modo, vel non congregata in loco, vbi alias conſueta fuerat congregari, vel non congregata de mandato ſuperioris, prout conſueuerat, non
a dicitur legitime ordinatus.[a] ⁊ ita de facto obtinui, per hãc l. † Ex
2 fi. legis. no. quod licet aliquis habeatur, ⁊ reputetur pro publico officiali, ⁊ re vera non ſit, ex eo quod non fuerit legitime ordinatus, vel quia reputatur tabellio, cũ non ſit, vel iudex cum non ſit, quod acta facta per eum nullius ſint momenti, ⁊ ipſe faciens pu-
3 nitur. Nec † obſtat l. Barbarius. ff. de offi. pret. quia quandoque quis eſt electus ſolenniter, tamen propter defectum perſone non poteſt eſſe, ⁊ tunc facta per eum valent, cum ſint publica, vt ibi. Quandoque quis poteſt eſſe, ſed non eſt electus ſecundum formã debitam, ⁊ tunc facta per eum non valent, vt hic. Et ita tenet
b Guliel. de Cu. in l. Barbarius.[b]

ADDITIO.

a ¶ Ordinatus. ſed quid quando ſtatutũ dicit quod vniuerſitas debeat facere ſyndicum cum authoritate ſeu poteſtate preſidis, an ſufficiat quod authoritas ſeu poteſtas accedat ex interuallo, vide per dominum Sozin. in conſi. xv. inci. viſis predictis publicis inſtrumentis. verſicul. vel poſ. ſecundo modo, circa medium. ¶ Adde pro hoc queſito Bal. in l. habeat. nu. vj. quod ibi poſuit in apoſt. ad ipſum in ver. nil operetur conſenſus ſequens. C. de ſacroſanc. eccle. in lectu.

b ALEX. ¶ Et de hoc vide per omnes ſcribentes in l. Barb. per
illum tex. de offic. pret. per Innoc. ⁊ alios in c. j. de fid. inſtrum.
Spe. ⁊ Jo. And. in tit. de inſtr. edi. §. reſtat. ver. quid ſi ios. ⁊ ver. ex
premiſſis ſecundo. iuncto ver. ſi. ⁊ in tit. de proba. §. j. ver. illud au
tem. cum ver. ſeq. Guid. de Suza. in l. decernimus. C. de ſacr. ſanc.
eccle. ⁊ per Jac. de Aren. in diſputa. incip. produco cõtra te inſtru
mentum. ⁊ per Jac. de Bel. in diſputatione, cauetur aliquo iure.
⁊ ipſe. ponit in l. ij. C. quomodo ⁊ quãdo iud. per Pau. de Lea.
in c. cum dilectus. de fid. inſtr. per Bald. ⁊ Imol. ⁊ Pau. de Caſt.
in l. ad teſtium. de teſt. per Bal. in l. ij. de ſer. ⁊ aqua. ⁊ in l. nõ igno
rat. C. qui accu. non poſ. per Joan. Fab. in §. ſed cum aliquis. Jn-
ſti. de teſt. per Angel. in auth. de tabel. in §. pe. per Joan. And. in
repe. c. conſuluit. de iure patr. per do. Ale. in l. j. ad fin. C. de teſt. v-
bi omnino videas.

LEX VIII.

SCriniarios. A prefecto pretorio, ſcriniarij vel numerarij nõ poſſunt pecuniam ſumere mutuo vel aliquid pro expenſis publicis cuiquam promittere, hoc dicit.

LEX IX.

NEmini. Nullus in numero militum ordinatus ⁊ numeratus actuarius fieri poteſt nec actuarius depoſito officio ad aliquam militiam aſpirare poteſt, hoc dicit.

LEX X.

NUlli. Scriniarius eoſdẽ numerarios vltra quaternas vices habere non poſſit, nec etiam chartularios interpellato tempore non continuato, ⁊ debet eſſe in numerario interuallum biennij, in chartulario anni. ¶ Item numerarius ad ſimilitudinem chartularij non poteſt deſcẽdere. ¶ Item numerarij ſcriniariorum Orientis, ⁊ Aſiane, ſcilicet diceñs, eliguntur de numero hic notato. In dieceſi vero Pontica, ⁊ Thracie eligi poſſunt hi, quos ſcriniarij dixerunt eligendos, inſtrumentaque ab eis facienda ſunt ſolennizanda ſolennitate hic deſcripta, alias ſuſpicione falſi non carent, exceptis hic infe-
1 rius nominatis. hoc dicit. ¶ † Not. in dignitatibus quem debe-
re ſemper de gradu in gradum aſcendere, non autem deſcendere.
2 ¶ † Ultimo not. quod inſtrumentum carens ſolennitate debita
a non eſt ſine ſuſpicione falſi.[a]

ADDITIO.

a ALEX. ¶ Adde quod idem tenet Cy. in l. iubemus. C. de teſt. vbi dixit quod notarius talia omittẽs debet puniri de falſo, ⁊ parti tenetur ad intereſſe. quod ſequitur Bar. in l. ſi librarius. de re. iur. Et adde quod inſtrumentum non valet, ⁊ ſi per imperitiam, ⁊ errorem notarij eſſet omiſſa ſolennitas aliqua ſubſtantialis, vt not. per gl. ⁊ doc. in l. ambiguitates. C. de teſta. ⁊ Bal. in l. iuris. C. qui admi. ⁊ intelligitur ita lex ſi. in fin. ⁊ ibi gloſſ. C. de fideiuſ. ſecus ſi per errorem omiſiſſet ſoluere aliquid, quod non eſſet neceſſarium, quia poſſet corrigere, quia talis error non obeſt. l. errores. C. de teſt. ⁊ d. l. ſi librarius. ⁊ l. fin. §. ſi cum eſſet. ff. de tabulis exhib. ⁊ in l. Imperator. ff. de ſtatu. ho.

LEX XI.

OFficio. Officium actuarij, quod olim durabat biennio, hodie concluditur anno.

LEX XII.

PEr hanc. Officiales prefecti pretorio Illyricani ſi dignitatem comitiuam adipiſcãtur profertur ſententia interlocutoria, ſeu decretũ electionis, ⁊ illud dari eis debet qđ ante hanc legem dabatur cum officio prẽdicto depoſito eligebant pretoriani tribuni. hoc dicit.

De curſu publico, & angariis, & parangariis. Rubr. LI.

LEX I.

EQuos. In text. ibi, non lignis vel fuſtibus.
1 ¶ † Nota optimã legem contra cõdu
ctorem equorum, qui equum conduxit ad vecturam,
a ⁊ vt ambularet, percuſſit eum cum fuſte[a] vel ligno, qđ
ſi ex hac percuſſione equus deterioratus ſit, ad eum periculum
ſpectat, quia non debuit eum percutere fuſte vel ligno, ſed ſi eum
percuſſiſſet flagello vel calcaribus, ⁊ caſu equus eſſet mortuus,
aut etiam deterioratus, tunc non ſpectaret ad eum periculum,
b quia licite potuit equum flagello vel calcari cedere.[b]

ADDITIONES.

a ¶ Percuſſit eum cũ fuſte. Adde Ant. Corſe. ſing. ſuis in ver. cõductor incip. aliquis conduxit equũ. vbi alleg. iſtum hic, ⁊ eum ſequitur, aſſignat tñ aliã rationẽ hic, que mihi videtur eſſe potior.

b ALEX. ¶ Ego puto quod ſi ſit mortuus ex percuſſione calcarium, debet inſpici qualitas perſone, puta ſi erat talis, qui ſolitus erat equitare, nam ſi eſſet talis, qui non eſſet ſolitus equitare, puta in monacho, procedat quod hic dicitur. ſed ſi erat ſolitus, ⁊ bonus equitator, credo quod tenetur quamuis ſit mortuus calcaribus, per no. per bal. in l. que fortuitis. in materia leuis culpe. C. de pigno. actio. vbi etiam dicit, quod nedum de leui, ſed de leuiſſima, ⁊ de dolo, nam qualitas perſonarum debet referri ad genera culparum. l. fiſcus, de lega. iij. ⁊ in l. inter artifices. de ſol.

LEX II.

PReſidibus. Preſides ⁊ rationales, quibus annona per Rempublicã ſubminiſtratur, pro pecoribus gubernandis vſurpare non poſſunt bubulcos. Item nullus cũ annona aliam viã debet tenere, niſi p publicũ curſum excepto prefecto pretorio, cui p curſum
1 publicum proficiſcendi licentia eſt conceſſa. hoc dicit. † Not. ex
hac l. quod ſemper quis debet ſe tenere ad viam publicam ⁊ rectam, qua communiter omnes vtuntur, adeo quod ſi extra eam reperitur, mala ſuſpicio eſt contra eum. quod not. contra portantes, contra deuetitum. De quo habes caſum. j. cod. l. ſi quis per publicum, ⁊ C. de naui. l. qui fiſcales.

LEX III.

EUectiones. Nullus iudex vel cuſtos publici curſus pati debet per publicum curſum aliquem ire niſi vadens primo ſeriem ſue euectionis oſtendat, ⁊ volens reſiſtere aut vltra tempus vehere retinebitur vbi fuerit repertus, ⁊ ſecundum qualitatem perſone
1 per iudicem competentem punietur, hoc dicit. † Not. cõtra illos,
qui reperiuntur in itinere, de quibus eſt ſuſpicio, ne aliquid portent contra deuetitum. Nam ſi non permittunt tunc ſe ſcrutari, poſſunt capi, ⁊ retineri per cuſtodes ad hoc deputatos, ⁊ ex ſola reſiſtentia debent acriter puniri, vt hic.

LEX IIII.

PAripпum. Parippus appellatur qui licentiam habens de duobus vehiculis euehendis, tertium euehit, aut euectionem extraordinem facit. Si autem ſecundum licentiã ſibi datam quis vehat, nõ debet delictum reputari ſiue euectionem faciat euectioni prepo-
1 ſitus ſine mulio. h. d. † No. ex hoc tex. qđ ſi gabellarij portarũ dede
rint mihi licentiam portandi mea arneſia extra ciuitatẽ. ⁊ diſtrictum, ſi arneſia portauerim per mulionem, quãuis mulio nõ ſit in licentia deſcriptus, ſed ſolum ego, licite tamen poterunt per eum portari, quod nota.

LEX V.

SI quis. Iſtam legem nota, ad id qđ dixi ſupra eodem. l. ſecunda.

LEX VI.

EUectionum. Senatus cum ad principẽ vadit, habet poteſtatem euectionis, ⁊ faciens contra vetitum publicum curſum, pena hic inſerta punitur.

LEX VII.

EX omnibus. Stabula prouincialiũ, nõ debẽt fieri ſũptu publico ſ3 expenſis prouincie pro quibus expenſis habebunt animalium ſtercus.

LEX IX.

IUdicibus. Faciende euectionis copia omnibus iudicibꝰ denegatur, excepto prefecto pretorio, ⁊ officiorum magiſtro, niſi ob trãſmittendas publicas functiones euectionem faciant, pena contra facientibus imminente. h. d.

LEX X.

GRauiſſime. Super animalibus ad euectionẽ curſus publici deputatis nullus contractus locationis, etiam ad vecturam, vel emptiõis tenetur pena grauiſſima contra facientibus imminente. h. d.

LEX XII.

QUoniam. Ueredorum ſella computato freno ⁊ pectorali cũ pectorali debet eſſe ſexaginta librarum: ſi autem ſit vltra ſella, cedatur per fruſta. pectorale vero publicatur exceptis illis, qui ſunt ſub ruſticitate conſtituti, qui in ſacculis onera portant. h. d.

LEX XIII.

NOn patimur. Non debẽt ruſtici qui hyppoconi appellantur, perducẽdo equos per publicum curſum indigna expoliatione vexari, pena contrafacientibus imminente. h. d.

LEX